DE ANIMI AEGRITUDINE.

DISSERTATIO

INAUGURALIS PSYCHOLOGICO-MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITTERARIA
FRIDERICA GUILELMA
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE II. M. JANUARII A. MDCCCXXXVI.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET

AUCTOR
HENR. AUGUST. SCHIELE
POMERANUS.

OPPONENTIBUS:
BRUNONE LINCK, MED. ET CHIR. DR.
ED. CAESAR, MED. ET CHIR. DD.
GUST. PLASS, MED. ET CHIR. CAND.

BEROLINI, TYPIS NIETACKIANIS.

PATRI

OPTIMO, DILECTISSIMO

J. G. D. SCHIELE

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

D. D. D.

AUCTOR.

LECTORI BENEVOLO.

Studiis medicis vix peractis cum ad aegrotantium lectulos, ut, quae e virorum celeberrimorum praeceptis et scriptis mihi exhausi, ad debellandos morbos adhibere discerem, saepius accessissem, nonnulli morbi casus obviam mihi venerunt, qui causas occasionales ex affectibus animi deprimentibus sumserant. Nunc primum exempla ante oculos posita erant, quibus intimus corporis cum animo connexus lucide perspici potuit. Forma peculiaris et vis perniciosa illorum morborum animum maxime ad se adverterunt. Hujusmodi morbi casus quam plurimos investigatos diligenter observare valde placuit. Neque defuit huic studio materia in nosocomio caritatis Berolinensi, quod per annum, quo clinica medica Cel. *Wolff* et Ill. *Bartels* frequentavi, quotidie adii, deinde, cum medici inferioris in eo fungar munere, jam per menses novem domicilio usus sum. Itaque, cum dissertatiuncula in lucem edenda esset, de affectibus animi tristibus ea dicere non dubitavi. De animi affectuum, qui corporis atque animi vires deprimunt, tota classe agere, mihi propositum non est, quod inter angustos hujus libelli ter-

minos magna illa materia coerceri non possit. Sufficiat igitur de tristitiae variis gradibus tractatio. Laborem difficilem me suscepisse, atque scatere vitiis opusculum persuasum habeo, sed eo magis, ut veniam et indulgentiam praebeant, lectores candidos etiam atque etiam oro. E vituperio fructus quam optimos colligere studebo, atque, ut dignior quando appaream, intimo animo operam me daturum promitto.

Ad scribendum opusculum et librorum de psychologia et pathologia atque therapia, nec non operum, quorum inscriptiones grato animo mihi afferendae sunt, studium maxime me adjuvit.

S. A. Tissot. Abhandlung von den Nerven und ihren Krankheiten. Uebers. von *F. A. Weber.* Winterthur u. Leipzig 1782.

F. C. G. Scheidemantel. Die Leidenschaften als Heilmittel betrachtet. Hilburghaussen 1787.

J. Chr. Reil. Ueber die Erkenntniss und Kur der Fieber. 4. Band. Halle 1802.

J. G. E. Maaſs. Versuch über die Leidenschaften. Halle u. Leipzig 1805.

D. Al. Crichton. Untersuchung über die Natur und den Ursprung der Geisteszerrüttung. Leipzig 1810.

J. G. E. Maaſs. Versuch über die Gefühle, besonders über die Affecten. Halle u. Leipzig 1811.

Ph. Carl Hartmann. Grundzüge zu einer Physiologie des Denkens. Wien 1832.

Intelligentia, quae nobis inest, ad res naturales percipiendas atque rationem, quae ipsis cum hominibus intercedit, dijudicandam eos aptos reddit. Inter quas actiones cum animus rebus cogitatis et perspectis vires auctas et amplificatas intelligit, res bonas habet. Iis jucunde animus afficitur. Attamen cum res conceptae animi voluntatem atque studium liberae efficaciae semper florens arctius coercent, malae existimantur atque animi motum injucundum provocant. Simul cum sensu jucundi et injucundi inclinatio ad bonum et alienatio a malo in imo animo genitae reconditaeque ad lucem emergunt. Tandem animus, cum jam ad sensus atque ad inclinationes aut alienationes excitatus est, voluntatem etiam impellit, ut quid perficiat, quo illi animi motus aut manifesti fiant, aut, quod bonum et jucundum dijudicavimus, nobiscum conjungatur, quod malum et ingratum habuimus, vi repellatur atque evanescat.

Sensuum gradus in immensum protrahuntur; alii animo vix distinguuntur, alii fortiter vigent, alii ita animum afficiunt, ut, quem ratio regere debet, sibi submittant.

Sensus tanti vigoris concentum actionum mentis turbant, aut plane tollunt. Quibus motibus turbatus animus aegrotat. Tunc duplici modo agit, patitur enim, aut in rem conceptam libere reagit. Illa animi turbatio, qua iners ille et ignavus persistit, affectus nominatur, uti maxima spes, laetitia, timor, tristitia etc. Sed ubi vivax et pertinax voluntatis nisus opponitur, uti in ambitione, avaritia, iracundia, zelotypia, passiones (Leidenschaften) evadunt.

Maxime igitur animi affectus et passiones inter se congruere apertum est, neque semper, quibus stricte distinguantur, termini facile inveniuntur. Sunt tamen, quibus inter se differant, quae aperte, si fieri potest, eruere nobis propositum est.

Cogitantes igitur, quomodo oriantur, et quomodo animum corpusque afficiant, similitudo affectuum et passionum nos non fugit, neque cum affectu illi respondente quamcunque passionem conjunctam esse ignoramus. Sed affectus etiam facile et saepissime ita augetur et protrahitur, ut in passionem increscat. Cujus rei causa in imo animo inveniri potest, qui omnia, quae bona intellexit, secum conjungere, quae mala, procul de se removere studet.

Quamquam illae animi perturbationes sibi similes sunt, nonnulla tamen facile invenientur, quibus eas inter se differre manifestum fiet.

Primum enim earum natura diversa. Etenim si animus in affectu versatur, voluntatis actiones aut debiles aut plane reconditae atque oppressae sunt, cum passio-

nes viribus voluntatem instruunt, quae in certam rem cum studio et pertinacia diriguntur et consumuntur.

Tunc animi affectus et passiones maxime inter se discrepare intelligimus, cum principia eorum signa accuratius perscrutamur et comparamus.

Affectus, quum saepe atque intervallis exiguis animum supervenerunt, non modo minuuntur, sed tandem plane non sentiuntur, nisi accedant certa quaedam, quibus protrahantur et augeantur. Vis autem passionum, ceteris paribus, quo frequentius animum turbavit, eo fortior et vehementior evadit.

Inde passionibus brevius durare affectus consequitur.

Saepe quidem, ut temeraria pravaque incipiant, homines iis impelluntur, sed quibus factis ad poenitentiam mox convertuntur. Passiones vero chronicae sunt, quae animum magna vi et constantia occupant. Homines iis afflicti omnes molestias ferunt, et ipsa pravissima perficiunt, dummodo spes iis arrideat, fore, ut ea, ad quae cupido inclinat, tandem consequantur. Facinorum scelestorum eos non poenitet. Passiones igitur morbi perniciosi dici possunt, qui et corpus et animum necent; ex affectibus vero saepe utilibus et laude dignis, quod misericordia probatur, homines nunquam dedecus concipiunt.

Affectus et passiones physiognomiam et habitum corporis peculiariter mutant, quae mutationes voce et oratione, oculis, vultu, motibus corporis ejusque partium singularum facile cognosci possunt. In affectibus illa

imago integra neque occulta de animi conditione vere testatur. Inter omnes enim constat, illis signis absconditis affectum ipsum jam ad dimidium victum esse, cum simulatis iis animus tranquillus ad affectum incitari possit, quod in scenicis excelsis quotidie observare licet. Passiones vero animum saepe jam perturbarunt, etiamsi vultus tranquillus, vox firma, motus corporis integri videantur. Dissimulatio enim ad exsequenda proposita homines cupidine victos juvat, quamquam cupiditatem non minuit.

Animus cum bona malave percipit, ad illa tendit, haec fugit. Excitat ille boni et mali sensus amorem et odium, e quibus primariis omnes cujusvis nominis et conditionis animi affectus et passiones emanant. Neque magnam illam variorum affectuum et passionum copiam e duobus tantum proficisci mirandum est, cum et gradum et durationem eorum maxime variare, ad diversas res ea referri, nec non varie unum cum altero conjungi posse animo reputamus.

Unam tantum, quam accuratius perscrutemur, e filiabus pravis odii elegimus, animi aegritudinem. Tunc animum aegritudine affectum esse dicimus, cum molesto et injucundo sensu desiderio rerum, quas magna caritate et benevolentia complexi sumus, provocato ita tenetur, ut vires animi, praecipue voluntatis, aut minutae, aut suppressae, aut plane suspensae videantur.

In animi aegritudine multi statuuntur gradus, qui inter levem tristitiam atque desperationem medium tenen-

tes magnam et continentem seriem constituunt. Attamen cum varii illius animi affectionis gradus et causis et symptomatibus maximopere inter se differant, nec non diversa ratione animum et corpus eorumque actiones et functiones infestent, varii illis animi aegritudinis gradibus vocabula imposita sunt, quibus in sermone, etiamsi non satis accurate, designentur. Tres tantum gradus in scribendo libello eligere, eorumque indolem paulo accuratius conquirere nobis placuit. Ea enim animi aegritudo, quae in gradu inferiore persistit, et tristitia vocatur, injucundum quidem sensum conficit, sed quo animi actiones nondum perturbantur. Moeror, secundus animi aegritudinis gradus, affectus vim jam consecutus, congruas animi et corporis actiones a recta via depellit. Summam denique tristitiam, quae animum penitus percutit, et corpus violenter aggreditur, nomine desperationis significamus.

Cogitantibus nobis, quae causae illi graduum differentiae subsint, sat multa, quibus patefiat, momenta occurrunt. Hic pertinent: major minorve animi proclivitas ad hujusmodi affectiones; tunc varia causarum vis et tempus earumque aut lentus aut subitus impetus; denique conditio et temperies, in qua tempore illo, quo res noxiae eum aggrediuntur, animus versatur; nam animus laetus fortioribus causis tristibus moesto animo gravius tangitur.

Alia animi aegritudinis immutatio memoratu digna fit e causarum diversitate. Cujus rei exempla afferri possunt luctus de homine, quem maxime amavimus, mortuo

et invidia, quae in hominibus propter aliorum fortunam et divitias excitatur, et poenitentia, quam res male praveque gestae gignunt.

Praeterea non praetermittendum mihi videtur, animi aegritudinem cum diversis animi sensibus conjunctam uti cum amore in misericordia, cum odio et amore et ira et timore in zelotypia aliam sibi sumere formam.

Omissis animi aegritudinis speciebus, quae e diversis causis et connexibus proficiscuntur, illas tantum perscrutari propositum habeo, quae gradu inter se differunt.

Non existit, qui legibus tantum mentis et rationis ducatur, neque omnes animi vires nisi ad summum optimumque non convertat et consumat; pauci numerantur, qui hilarem et tranquillum animum perpetuo sibi servent; multi, qui affectibus et passionibus de recta via saepissime facillimeque deducti dignitate et virtute destituantur. Quodsi omnes affectibus animi obnoxios esse fatemur, non paucos tamen aut omnino ad animi affectiones, aut ad certas quasdam proclives esse experientia docemur.

Ad animi affectus omnino eos propensos videmus, quorum systema nervorum aut natura, aut victu et disciplina et morbis multisque aliis magnam et egregiam sensibilitatem assecutum est. Inde derivanda esse videtur major minorve ad animi affectus dispositio hereditaria, ejusque in eodem homine mutatio per lunae vicissitudines et anni tempora et momentaneam corporis indolem producta.

Neque sunt pauca, quae, ut animus aegritudine facilius tangatur, efficere possunt.

Magni momenti est certus ille animi tenor, quo temperamenta distinguuntur.

Sanguinicus levitate excelsus, cujus sensus celerrime mutantur, et qui in rebus nisi hilaria et ridicula perspicit, neque vehementibus longisque nec tristibus affectibus facile corripitur.

Affectus audaces et flagrantes atque intemperati cholericum facilius movent.

Phlegmaticus ab affectibus omnino alienus tamen deprimentibus facilius, quam excitantibus afficitur, cujus rei causa in debilitate et laxitate ei propria inveniri potest.

Temperamentum melancholicum, quod in sellulariis, sutoribus, sartoribus, literariis et aliis saepissime occurrit, moestitiae ejusque causis maxime patet. Hóminem illo temperamento praeditum esse concluditur, cum corpus siccum neque pingue, musculi fortes atque exculti, cutis flavescens, pili nigricantes et rigidi, oculi in orbitam retracti, venae superficiales magnae et perlucentes cognoscuntur, atque facies ignaviam aliquam et timiditatem prae se fert. Quamquam causae sufficientes desunt, magna anxietate et gravitate melancholicus interdum tentatur, laetos hominum convictus fugit, neque bene se habet nisi ab omni strepitu aspectuque hominum remotus. Omnibus rebus graviora et tristia subjungit, sensusque sibi concitatos ubique cogitat et molitur. Variatio delectans et

tristitiam resolvens plane deest. Mirandumne igitur est, quod animus acerbis sensibus assidue cruciatus laetitiae hilari et amori tenero aditum praecludat? Nam animum, cum saepe fortiterque aegritudine afflictus est, magnam in eam redeundi dispositionem contrahere experientia confirmatum est.

Varia corporis temperatura diversorum hominum, nec non ejusdem hominis animi conditione vix minus confert, ut ad varios animi affectus propensiores homines reddantur. Quemque enim corporis sensum in animum transferri, atque in eo similes sensus excitare experti sumus. Itaque cum indolem et rationem corporis e corporis ejusque organorum conditione, nec non e morbis eorum, atque e victu, et rebus externis, atque aetate, et genere, et coelo, annique et diei temporibus pendere inter omnes constet, negari non potest, haecce momenta magnam in mentem hominis regendam vim exercere.

Et re vera teneram floridamque constitutionem temperamento sanguineo, rigidam et siccam melancholico, laxam et lymphaticam et venoso-plethoricam phlegmatico, duram fortemque et expressam cholerico respondere et quoad indolem similem esse iis observatur.

Unusquisque morbus, quo neque perturbata neque plane sublata est conscientia, aut quo nervorum systema sensibilius evadit, ad concipiendam aegritudinem animum propensiorem reddit. Sed in eorum praecipue morborum commemoratione versari placet, quibus peculiaris animi aegritudinem similesque affectiones provocandi in-

est facultas. Omnes enim digestionis morbos et quibus liberae sanguinis circulationis per omnes corporis partes impedimentum et perturbatio subest, affectus deprimentes, anxietas, vel timor, vel morositas, vel tristitia, vel moestitia, vel desperatio, vel suicidium quam saepissime sequuntur. Cujus rei causa in eo quaerenda esse videtur, quod impedita sanguinis circulatione nervorum vis vitalis et actiones coercentur, aut opprimuntur, quo molestum et injucundum sensum, qui aliis animi notionibus omnibus admiscetur, excitari oportet. Morbi, de quibus sermo fuit, hi sunt: tumores, indurationes, physconiae organorum in abdomine sitorum, ventriculi, hepatis, lienis, mesenterii atque ejus glandularum, uteri, nec non pulmonum, et graviora cordis magnorumque vasorum sanguiferorum vitia organica.

Victus et cibis et potu et medicamentis calefaciens ad affectus excitantes non minorem dispositionem movet, quam ad contrarios victus tenuis et methodus antiphlogistica. Industria et hominum aspectu usuque impediri, otio et solitudine juvari animi aegritudinem sat notum est.

E varia rerum externarum conditione corpus atque animus certum tenorem et indolem sibi trahunt. Qui laetitia et jucunditatibus et adeo rebus ad vitam necessariis semper carebant, et quorum animus summorum et carissimorum jactura saepe graviterque affligebatur, aut quos angor et sollicitudo conscientiae vexabat, laeta et jucunda rerum omittentes, severa et injucunda perspicientes animi aegritudine facillime rapiuntur.

Educatio, qua corporis vires adjuvantur et confirmantur, quaeque organorum et functionum omninm perturbationem arcet, tuto impediet, quominus animus validior et firmior redditus aegrotet et tristitia affligatur. Cum eodem modo animi etiam facultates praecipue mentis coluntur et amplificantur, animo fundamentum supponitur, ut ne arduis quidem et difficilibus rebus convellatur. Pueritiae igitur educator amore, severitate et in omnibus rebus moderatione praeditus sit et instructus. Nimia enim indulgentia, nimia virium et animi et corporis intentio, perversa ingenii cultura animo inconstantiam et infirmitatem praebent, ut rebus adversis facillime succumbat.

Faciles laetique et audaces juvenes amore et amicitia accenduntur, cum veterum et debilium atque torpidorum vires exiguae odio et tristitia et diffidentia exhauriuntur.

Jam rapitur tristitia debilis, atque iners, et mollis mulier, cum integrum et tranquillum animum vir fortiter adhuc servat.

Coelo et anni tempore ad certos animi affectus inclinationem moveri paulo occultius reconditum est. Attamen sub coelo fervente et ventoso et tempore aestivo leves et celeres et nobiles animi affectus, sub coelo frigido et obnebulato tristes et timidos praevalere inter omnes constat. Homines montani animum laetum et hilarem, qui in vallibus humilibus et humidis vivunt, timidum et tristem prae se ferre solent.

Horis matutinis, cum animus vivacior et hilarior videatur, majorem ejus ad affectus laetos et jucundos inclinationem, quam tempore vespertino, quo tardior et tristior apparet, esse concludi potest.

Quo major dispositio, eo facilius; quo minor, eo difficilius res adversae aegritudine animum submergunt. Omnes illae causae, quae animi aegritudinem efficere possunt, in eo conveniunt, quod gravi desiderio, aut infausta jactura cujusquam boni, quod ad nostram aut amicorum vitam beatam pertinere nobis visum est, omnes contineantur. Magnam earum copiam plenam et integram dinumerare neque fieri potest, et, si posset, longius et inutiliter foret. Itaque principes tantum earum breviter afferre sufficiat, quae sunt: mors hominis, quem amore complexi sumus, desiderium aut jactura rerum humanarum, vel potentiae, vel honoris, vel bonae famae, vel valetudinis, aut cum spes nos fefellit, aut meditatio religiosa, qua quis se improbum turpemque esse opinatur. Majoris momenti atque effectus illae causae evadunt, cum boni eventus spes plane evanuit, et ipsos malorum auctores accusandos nos habemus.

Eo denique perveni, ut animi aegritudine affecti conditionem accuratius exponam, ejusque non modo in aegrum, sed etiam in validum corpus effectum tradam.

Cum naturam causarum, quae aegritudine animum imbuunt, earumque seu lentum, seu praecipitem impetum, nec non ea, quibus fit, ut diverse animus moveatur, plane postponimus, de ratione, qua rebus adversis animus affi-

ciatur, et triste affectus in corporis functiones vitales reagat, hoc generatim dici potest. Si quando moestas durasque res animus percipit, tunc actiones ejus liberae injucunde impediuntur, vires quasi depressae et fractae sunt, et ipse denique, qui mente tantum moderandus est, nunc ex alieno sensu pendet et regitur. Quo modo excitatae plus minusve graves systematis nervorum superioris perturbationes etiam ad inferius nervorum systema transferri et organa circulationis et reproductionis turbare debent. Unde fit, ut actiones respirationis et circulationis, secretiones et excretiones, digestio, chylificatio ac corporis nutritio abnorme progrediantur, simulque igitur vires vitales quasi frangantur et consumantur. Sunt autem permulti veluti gradus animi aegritudinis, quorum symptomata variantur. Quum tamen, ut jam supra memoratum est, neque velim, neque, si vellem, de omnibus animi aegritudinis gradationibus ab infima usque ad summam i. e. desperationem disserere possim, facilius et ad hanc materiam accurate tractandam aptius fieri posse videtur, ut infimum, medium, summumque animi aegritudinis gradum statuam, teneam et describam. Nihilominus tamen praemonendum esse puto, hos gradus nequaquam inter se disjunctos, sed quasi annulos longae catenae singulos existimandos esse.

Praeterea necesse mihi videtur, modificationum signa et effectus breviter commemorare, prout a longiore vel breviore durationis tempore et a repentina aut lenta accessione pendent.

Sub infimo animi aegritudinis gradu eum intelligi volo, qui ad sensuum adhuc numerum referendus est, et cui nomen tristitiae proprio sensu attribuimus, cum secundus, moeror, jam affectus vehementiam assecutus est, et tertius, desperatio, vehementissimum et vivacissimum affectum significat.

Sin autem animus tranquillus per repentinos miserosque casus levi aegritudine afficitur, haec ejus affectio in universum breviter tantum permanet, ejusque in corpus effectus raro magni est momenti, sed qui facile cognoscitur facie, vultu et in temporaria et parva functionum harmoniae turbatione. Injucundus enim interior sensus, qui initio animum impedit, quominus ad alias impressiones sit proclivis, animi facultatem intelligendi turbat, et phantasiae imagines vivacissimas proponit, quae judicium voluntatemque debilitant et obnubilant; mox vero mente resurgente hebetatur, et temperatur, ac saepe plane supprimitur, ita ut animi tranquillitas redeat.

Nunc etiam illa animi perturbatio simul ad vultus gestusque corporis transit, quae signa animum satis bene nobis illustrabunt. Itaque plerosque faciei musculos languidos segnesque, nonnullos quidem exempli gratia frontales et corrugatores superciliorum contractos, musculos oris, laryngis et respirationis convulsive moveri observamus; unde illa vox haesitans et fibulans, nec non singultus ille levis, maxime auctus in fletu, qui suppressum animum levat, oritur. Jam porro etiam oculi lacrimantes ad terram figuntur immobiles, et interdum tantum ad

supplicantium instar tolluntur. Facies colore pallido. Haecce nervorum turbatio ad alia irritabilitatis et reproductionis organa transiens musculorum etiam voluntariorum laxitatem efficit, quod caput lapsum, brachia languide demissa et omnium motuum gravitas et tarditas demonstrant. Atque cordis actio est minuta ac turbata, pulsus fit tardior, et sanguinis multitudo in interioribus organis, praecipue vero in corde et vasis magnis venosis ei proximis ut in vena portae et in venis cavis colligitur stagnatque; unde illam plenitudinem et pressionem in praecordiis ac respirationem difficilem, anxiam et adeo gementem sentit aegrotus, dum partes externae sanguine vacuae perfrigescant et palleant. Eadem de causa bilis secretio alienatur, unde haec ipsa bilis obscurior et tenacior. Ex his autem turbationibus corporis animique omnibus intellectu facile, appetentiam ciborum minui, digestionem debilitari, porro flatus molestos, ructus amaros et putridos, sedesque irregulares gigni debere. Chylus non tam bonus uberque observatur et corporis nutritio segnius ac vitiose fit. Abhinc etiam lassitudo illa singularis, corporis debilitas, taediumque rerum necessariarum oriuntur.

Etiam ab adolescentibus constitutione robusta hilarique ingenio illi tristitiae in corpus effectus, ubi animi tumultus sedatus est, salva valetudine mox abibunt. E contrario timendum est, ne homines valetudine imbecilliores atque ad hanc animi aegritudinem propensiores majorem et ampliorem corporis animique turbationem patian-

tur, illaque in organismo labes provocata radices quasi altius agat et ulterius serpat. Ac praesertim ab his noxiis morbi nervosi quidam, hysteria, catalepsia et similes, nec non morbi ex irregulari sanguinis circuitu oriundi, prae omnibus hypochondria, causas gravissimas praedisponentes petunt.

Morbi chronici seu in sensibilitatis, seu irritabilitatis sive reproductionis systemate sedem habent, si animus tristitia laborat, difficilius curari possunt, et ipsi intensive et extensive crescere debent, dummodo hilaritas animi curationem eorum adjuvare vel sola forsan perficere possit.

Morbi febriles, in quibus sensibilitas nervorum aut integra aut aucta est, homines non solum ad res tristitiam efficientes proclives reddunt, sed etiam iis accedentibus permagnam et adeo perniciosam mutationem gignunt; quia functionum vitalium violatio, quae jam adest, ita augetur, debilitas et lassitudo multiplicantur et plantasmata gravia animi et corporis vires immediate et mediate propter somni fugam magis magisque exhauriunt. Hisce influentibus tristibus affectibus horum morborum character facillime fit asthenicus, accedunt symptomata nervosa gravia et periculosa, morbusque aut in longum deducitur, aut etiam vitam in periculum rapit aut adeo tollit.

Similes sunt effectus, quos tristitia habet in puerperas jam natura valde sensibiles, quique praecipue lacti malo et parco et febri puerperali dant occasionem.

Si animus impressionem injucundam, quam causae tristitiam gignentes in eo effecerunt, pertinaciter tenet, et jacturam dolorificam continuo contemplatus magnitudinem mali justo pluris aestimat, quod praecipue in temperamento melancholico facillime accidit, vel phantasia irritata tristes ideas iis adjungit, vel si alteram altera calamitas subsequitur, tristitiae in animum et corpus vis et intensitate et extensitate augeatur necesse est. Animus sua tantum calamitate occupatus omnes alias impressiones repudiabit. Ad miserorum preces querelasque surdus, ad familiarium amicitias tardus, ubique fraudem dolumque suspicatus durus fit et injustus et odiosus et omnia repellit, atque a vita sociali abhorret. Qua animi conditione perdurante in hypochondriam incidit. E vinculis duris atque injucundis liberari quam maxime studet et omisso omni judicio et ratione remedium adhibet, quodcunque exoptatam miseriae oblivionem paraturum sibi esse credit; itaque facile potest fieri, ut vitiis se tradat, quae tranquillo animo perhorruisset et fugisset, exempli causa ebrietati et cupiditati ludendi, quibus praeceps in summam miseriem agitur. Ingenii facultates, quae apte excultae excelluissent et magna praestitissent, in tali animi servitute rudes manent et turpiter evanescunt.

Quodsi jam brevis tristitia tam perniciose corporis valetudinem tangit, quam tandem major et gravior erit vis tristitiae longius durantis? Quum res ita sint, num est, quod miremur, hypochondriam, hysteriam, haemorrhoides, blennorrhoeas, maciem e tristitia originem ducere,

morbos chronicos durante illa insanabiles esse et augeri, febriles ad tantum malignitatis pervenire, ut vitae periculum minitentur.

Affectus tristis, vel medius animi aegritudinis gradus, cui nomen moeroris imponere liceat, aut aucta tristitia oritur, quum novae calamitates accesserunt, aut subito causa quadam gravissima influente apparet.

Priore casu sensus injucundus moeroris adeo attentionem nostram occupat, ut haec cogitationum cursum coercere non valeat; phantasia potentiam indomitam sibi arrogat, et animo multas imagines adducit, quae cum affectu regente conjunctae sunt. Omnes animi facultates in hoc unum sunt intentae, omnesque aliae actiones suppressae. Cognitio rerum externarum earumque ad ipsas et ad nos ratio impedita est, aut plane sublata. Moestus in se versus seque solo occupatus videtur et irritabilitas ejus ita imminuta est, ut nihil eum ab objecto moeroris sui deducere et ad actiones voluntatis fortiores movere possit. Hujus infelicis status sequelae nisi malae esse possunt; quaeque animi indoles negligitur et supprimitur, judicium fit incertum et falsum, memoria debilis, et cogitatio acris et multiplex omnino impeditur. Segnitia, fuga vitae socialis, morositas, odium, injustitia, invidia, iracundia in homine moestitia afflicto raro desiderantur. Per hanc animi intemperiem etiam organon ejus, cerebrum, in organisatione sua laedatur necesse est, quo multorum morborum nervorum origo explicatur, quales sunt: catalepsia, epilepsia et ceteri hujus status effectus

in varias corporis actiones functionesque. Vivacitas tandem phantasiae nos inducit, ut imagines ejus pro rebus veris habeamus, qua re sensus fallantur oportet, etenim sensationibus adeoque perceptionibus externis, quae plerumque imperfectae eveniunt, qualitates attribuuntur, quae rebus sensis et perceptis re vera non sunt, itaque insignibus erroribus et fallaciae occasio datur. Molestae sensationes internae judicium ejus ad involuntarias actiones saepe permovent, et ad sententias falsas, quas veras opinatur, quaeque eum vexant et torquent, omnem vitae fructum adimunt, adeoque vitae taedium ei inspirant. Quae turbationes animi libertatis tantae sunt, ut sine dubio pro animi morbis haberi debeant, qui vel sub melancholiae, vel monomaniae specie plerumque apparent.

Imago hominum moerore affectorum ab observatore prudente facillime ex eorum vultu, gestibus, motionibus, ceterisque corporis functionibus cognoscitur. Magis adhuc collapsi, distorti et terrifici, quam in primo gradu, sunt tractus faciei, color ejus pallidus, oculi in orbitas adipe egentes profunde retracti; nutritio mirum quantum turbata, adeps et caro ad minimum usque reducta, tarditas et lassitudo motuum, magnaeque debilitatis et caducitatis sensus inde proficiscuntur. Eodem modo, uti in primo animi aegritudinis gradu, illi effectus hic quoque fiunt, quippe qui a systemate nervorum ad organa irritabilitatis et reproductionis transferantur. Sensus anxietatis, angoris et plenitudinis circa scrobiculum cordis ex impletione vasorum magnorum, praecipue venarum, et

cordis orti ad id fastigii extenduntur, ut aeger fere opprimatur, neque lacrymarum abundantia minuuntur et levantur. Irregularis sanguinis distributio gemitum, palpitationes cordis, lipothymias excitat, et plurimas secretiones et excretiones turbat, atque aneurysmatibus vasorum magnorum et cordis praecipue dextrae ejus partis ansam dat. Prae omnibus autem laborat functio et nutritio hepatis; e circuitu enim sanguinis in ea impedito icterus, calculi fellei, indurationes et degenerationes substantiae non raro fiunt; secretum ejus tenax, obscurum et acre dolores colicos efficit et digestionem perfectam et validam impedit; nec desunt omnes illae molestiae, quae e digestione funditus perversa originem sumunt, quae omnia cachexiam universalem, hydropes, maciem, febrem lentam adeoque mortem tandem parant. Quin foetus, ad quem servandum et excolendum magna matris plasticitas poscitur, moerore matris longius durante moriatur necesse est, materque ipsa debilis et misera per abortum in summum vitae periculum vocatur.

In universum moeroris in homines aegros effectus a primo gradu non multum abhorrent, quaeque iis intercedit differentia ad gradum modo vehementiae referenda est.

Attamen cum hic animi aegritudinis gradus praecipitanter aggreditur, nonnulla ejus phaenomena et effectus a descriptis discrepabunt, quoniam sic terror magnus moerorem antecedit. Effectus et decursus hujus affectionis propter subitam accessionem acutiores et periculosio-

res fiunt; tota vis subito et plane ea deleta esse videtur, omnis animi facultas resoluta quasi jacet, membra corporis uti fulmine icta, vultus fixus, circulationis et respirationis actiones exstinctae videntur. Ideoque si rarissime maciem universalem, febrem lentam, cachexiam, vel alios reproductionis morbos chronicos moerore excitari videmus, eo frequentiores occurrunt casus, ubi convulsiones, epilepsiae, catalepsia, coma, praecipue vero mania et fatuitas secundaria, haemorrhagiae pulmonum et ventriculi, apoplexiae, menostasiae, abortus, vel singulares et periculosissimae febres nervosae e moerore celeriter et repentine orto initium sumsere. Ejusmodi casus observavimus duos, qui in hominibus robustis et juvenilibus acciderunt. Horror permagnus et convulsiones epilepticae prodromi eorum observati erant. Magna animi et corporis demissione, agrypnia, apathia, voce deficiente, quam nullo modo ederent, partialibus musculorum spasmis, et pulsu frequentissimo debilique insignes fuerunt. In duobus hisce casibus, etsi maxima adhibebatur opera, mors intravit. Neque in sectionibus cadaverum minima abnormitas inveniri potuit, quod quidem jure exspectavimus.

Simile quidem, sed majus etiam periculum, quam ceteroquin sanis, iis imminet, qui jam chronicis aut acutis morbis laborant, e moerore vel paulatim evadente, vel e repentino accedente, celeriterque decurrente.

Sin tandem magna longaque animi aegritudine vires vitales et valetudo penitus fere exhaustae sunt, atque animus moerore perculsus est, tristis ille vitae miserae sen-

sus, quem phantasiae imagines vivacem perpetuo sustentant, eo hominem mox adducet, ut nullius pretii vitam habeat, nulla re gaudeat et ob hanc tantum causam a vita sua manum removeat, quia sensus moralis non plane in eo est exstinctus. Nec sat miseriae; nova clades eum infestat. Nunc ultimum illud, quod ad vitam eum adjungit, vinculum frangitur, desperatio miserum rapit. Lassus omnique spe destitutus cum circumspicit, miseriem modo videt summam, vitam obscuram, nullam spem sibi affulgentem. Sic fieri non potest, quin ex his tenebris quam celerrime eripi cupiat, neque capax sit, tranquille et circumspecte judicandi, quidnam debeat creatori suo, quidnam sibi ipsi, quidnam civibus suis, in maximis hominum miseriis saepe inexspectatum venisse auxilium. Nulla superest spes, quae eum resuscitet, animique tranquillitatem restituat. Phantasia nonnisi miseriam vitae suae et sublevationem, quae liberato ab ea sibi continget, depictas habet, quas duas tantum res comparationibus suis amplectitur. Deleto judicio et obscuro perverse judicat. Itaque cum miseriem suam terribilem atque intolerabilem, summam, ex ea liberari, felicitatem existimet, neglectis moralitatis et religionis principiis non inter scelera ponit suicidium. Constanter in ejus exsequendi consilio persistit, ut custodia severa curaque aptissima, quominus id perficiat, plerumque impedire non possint. Neque desunt exempla, ubi homines vitae taedio capti, quamquam suicidium vituperarent, aliorum tamen necem facilius minusve vituperandum vitae finem imponendi remedium habentes

cognatos aut amicos eo consilio interficerent, ut a carnifice vita privarentur. Saepe etiam id volebant, quod perversus suorum amor iis inspiraverat, ut familiares et amici e vita miserrima nece liberati coelesti atque aeterna felicitate prius fruerentur. Porro homo desperans, in cujus phantasia imagines nonnisi terrificae accumulatae sunt, quique e quavis aliorum actione periculum sibi imminere opinatur, adeo mente privatus est, ut alios homines atque ipsos amicos et cognatos in se conjurasse putet, iramque et ultionem in eos ejiciat, maledicat, furiat, feriat, interficiat. Priusquam vero illa maniae symptomata manifesta erumpant, quietiores infelices illi fieri solent, in se versi, quasi obstupefacti, sed jam inest vultui eorum fixo et feroci singulare quidquam et atrox, quod animi statum declarat, nec solum a perito sed etiam ab imperito percipitur. Homines praecipue irritabiles, iracundos, pertinaces et indomitos, si judicium turbatur, plerumque in maniam furibundam, homines contra dulces et amabiles hilaresque in maniam mitem seu monomaniam, cujus ideae fixae causas morbi occasionales attingere solent, desperatione incidere experientia est evictum.

Sed, etiamsi neque longa tristitia, nec animi corporisve morbus antecesserit, ad desperationem causis vehementibus adduci possunt homines validi et robusti, atque hilares beatique, quippe qui acri et strenuo ingenio et cholerico temperamento sensus suos rationi subjicere non didicerint. Subito ictu feriuntur vehementi, subito animus turbatur et percutitur. Vesania, praecipue vero mania

furibunda, eo modo exorta aut adhibita curandi ratione apta ad valetudinem mox reducitur, aut exhaustis jam et resolutis animi viribus in fatuitatem plerumque insanabilem transit.

Hic tam acute decurrit desperatio, ut symptomata ejus in systema reproductionis minus patefiant. Illi contra in systema irritabile et in vultum gestusque desperationis acutae effectus satis manifesti sunt, neqne ab iis, quos modo descripsimus, differunt, nisi quod majore inquietudine, robore et strenuitate excelluntur.

Quibus aegritudinis animi effectibus et in animum et in corpus latius perscriptis quemcunque rerum tristium effectum ipsum denuo corpus et animum ita infestare, ut nova malorum series eo commoveatur, refelli posse non videtur. Qua quidem sententia judicio atque experientia firmata animi aegritudinem neque in mentis nec corporis morbos unquam bene agere recte concludi posse videtur. Talia, aut similia, qualia contrarii affectus exempli gratia laetitia in morbis saepe mireque perfecerunt, de animi aegritudine non observarunt. Id modo tristitia bene agat, ut insanam insolentiam, aut levitatem, aut luxuriam temperet et arcescat. Beati igitur, qui animi aegritudine vacant; neque, quibus praecaveatur, aut debelletur, aut coerceatur, aut cum radice evellatur, curam et medicinam invenire non operae pretium est.

Prudens rationis cultura et exercitatio, modicum aptumque vitae genus, quibus animus et corpus colantur

et firmentur, quominus animi aegritudine homines submittantur et perdantur, optime tutoque impediunt.

Quodsi vero animi aegritudo jam exorta sit, damnumque animo et corpori attulerit, his praecipue ipsam cum effectibus vincere studeamus, causas praedisponentes et occasionales, si fieri potest, removeamus, aptam vitae rationem instituamus, omnes corporis functiones turbatas ad ordinem reducamus, consolationem et serenitatem animo laeso adhibeamus.

De curandis morbis acutis animi aegritudine incensis certae quidem doctrinae afferri non possunt, hoc vero semper observandum est, ne audacius et fortius eos ingrediamur. Curatio secundum characterem lenta et mitis prodest, nunc remedia acida et refrigerantia et diluentia et leniter purgantia, nunc stimulantia et excitantia et nervina bene agunt. Balnea tepida, quibuscum superfusiones frigidae interdum bene conjunguntur, plerumque optimi eventus sunt; neque desunt casus, qui venaesectione curandi sint.

Cum corpus aut animus e tristitia chronice aegrotat, inter haec remedia, quibus utamur, apta eligenda sunt:

Diaetetica, si fieri potest, adhibeantur: vitae genus modicum, commodum et conveniens, corporis sub divo motiones et exercitationes, itinera, aspectus atque usus hominum, custodia, et, quae rebus postulatur, coercitatio.

Psychica: sensus gratos, atque affectus laetos et jucundos in aegris excitare, consolatione et amicitia animum erigere et firmare studeamus. Imponamus officia, quae

animum jucunde teneant et ad externa deducant; nec non musica utamur remedio.

Ex his pharmaceuticis sumamus apta: praescribamus vel salia solventia leniterque laxantia, vel remedia resolventia et amara e regno vegetabili, vel folia Sennae vel radicem Rhei, vel herbam Gratiolae, vel radicem Aloes, vel sulphur et quas intrat cum stibio conjunctiones. Maxime etiam prodesse solent balnea tepida, quibuscum superfusiones frigidae, aut stillicidia aquae frigidae, aut impluvia non raro bene conjunguntur.

VITAE CURRICULUM.

Henricus Augustus Schiele, die VII. mensis Januarii a. MDCCCXI patre, quintae Hussarorum cohortis medico superiore, matre e gente Vogel Stolpae natus sum. Parentes, quibus adhuc superstitibus gaudeo, ut puer in ecclesiam evangelicam receptus primis studiorum elementis instruerer, curae sibi habuerunt. Tunc gymnasium Cussalini directore doctissimo Mueller florens per annos duos, deinde gymnasium regium Joachimicum directore celeberrimo Meinecke per annos quatuor et dimidium frequentavi. Anno MDCCCXXXI mense Aprili testimonio maturitatis instructus inter cives instituti regii Friderici Guilelmi medico-chirurgici receptus sum, cujus instituti alumnus per quadriennium studio medicinae et chirurgiae incubui. Audivi per illud tempus viros illustrissimos, quibus omnibus summo venerandis gratias habeo quam maximas: Cel. Wolff sen. de hodegetice, logice et psychologia, Cel. Turte de physice, chemia et pharmacia, Beat. Hermbstaedt de pharmacia et chemia, Ill. Link de historia naturali, botanice et toxicologia, Ill. Schultz de botanice, Ill. Lichtenstein de zoologia, Ill. Schlemm de osteologia, syn-

desmologia ef splanchnologia, Beat. Rudolphi de encyclopaedia et methodologia medica, de anatomia corporis humani universa, de anatomia foetus humani, de physiologia, Cel. Eck de physiologia, Cel. Froriep de anatomia chirurgica, Ill. Hecker de libris Celsi, Ill. Fr. Hufeland de pathologia generali, semiotice, therapia tam generali, quam speciali, Ill. Horn de pathologia speciali, de morbis syphiliticis et psychicis, Ill. Osann de materia medica, Cel. Casper de arte formulas medicas concinnandi et de medicina forensi, Ill. Wagner de medicina forensi, Ill. Kluge de arte obstetricia, de chirurgia generali, de ossibus fractis et luxatis et de akiurgia, Ill. Juengken de ophthalmiatrice, de chirurgia speciali et de akiurgia.

Beat. Rudolphi et Ill. Schlemm cadavera rite dissecandi, Ill. Kluge fascias rite applicandi artem me docuerunt.

Cel. Gurlt de anatomia animalium domesticorum, Cel. Reckleben de zoodiaetice et de epizootiis, Cel. Naumann de equi bona indole, Cel. Hertwig de curandis animalium domesticorum morbis praeceptoribus usus sum.

Exercitationibus clinicis interfui medicis Cel. Wolff jun., Ill. Bartels et Ill. Osann, chirurgicis Ill. Rust et Nob. de Graefe, ophthalmiatricis Ill. Juengken, obstetriciis Ill. Kluge.

Quibus studiis peractis mense Aprili anno MDCCCXXXV medici inferioris munus, quod per annum in nosocomio caritatis Berolinensi fungar, mihi mandatum est.

Tentamine philosophico et medico, examineque rigoroso absolutis, dissertatione thesibusque publice defensis summos in medicina et chirurgia honores e facultate gratiosa peto.

THESES.

1. Venaesectione sanguinem attrahi nego.
2. In delirio tremente venaesectio quam maxime timenda.
3. In curatione morborum mentis narcotica nunquam bene agunt.
4. Ceratotomia ad sanandam cataractam tunc primum adhibeatur, cum alia operandi methodus jam frustra est perfecta.
5. Versionem partus ad caput plurimis in casibus versioni ad pedes praeferendam esse contendo.
6. Animus laetus tristibus causis satis fortibus moesto animo gravius tangitur.